



# **Disputatio juridica inauguralis de contrahenda emtione**

<https://hdl.handle.net/1874/340679>

3

DISPUTATIO JURIDICA  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
CONTRAHENDA EMTIONE,  
Q U A M

DUCE ET AUSPICE S.S. TRIADE.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque in Inclÿta Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Alma, ac  
Nobilissima Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis.

*Eruditorum Examinei subjicit*

GERARDUS VAN RHEMEN, Ultraject.

*Ad diem 25. Martii, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clo loc LXXXVII.

*VIRO Consultissimo, Seni  
Spectabili,*

**D. BERNHARDO**

à **Z U T P H E N,**

Juris Utriusque Doctori,  
praxin judicariam per multos  
annos in Curia Trajectinâ fe-  
liciter & fideliter exercenti,  
vero causarum Patrono, fama  
& scriptis celebri, uxoris no-  
mine Avunculo, omni hono-  
re prosequendo.

*Hoc inaugurale specimen eâ qua  
par est observantia consecrat*

GERHARDUS VAN RHEMEN,

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

Contrahenda Emtione.

THESIS I.



Inter Contractus consensu constantes præcipue eminet, & maximè frequens est *EmtioVenditio*, unde forte Imperator primo loco de hoc contractu agit in Institutionibus. Hanc ego materiam pro disputatione inaugurali breviter tractare decrevi. Appellatur hic contractus duplici nomine. *Emtio & Venditio*, quæ nomina ab utroque contrahentium desumpta sunt, sed unam rem denotant, veteres enim Emtionis Venditionis vocabulo promiscue usi sunt *l. 19. ff. de Contr. emt.* definiri potest hoc modo.

I I.

*Emditio Venditio est contractus Juris Gentium, nominatus, bonæ fidei, consensu constans de re acquirenda pro certa mercede.*

A 2

Est

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

Est *Juris Gentium* : hoc clare dicitur in l. 1. §. fin. ff. b. tit. quod sit nominatus per se patet, habet enim speciale nomen *Emtio* *Venditio*, & actiones ejusdem nominis producit N. *Emti & Venditi*, de quibus postea.

Quod sit bonæ fidei constat ex §. 12. *inst. de obligat. que ex consensu*. §. 28. *inst. de actio*. Reliqua verba definitionis denotant tria substantialia emtionis, quæ sunt, 1. *consensus* ab utraque parte l. 9. ff. b. tit. 2. *res seu merx* à parte venditoris l. 8. ff. eod. 3. *pretium* à parte emtoris l. 2. §. 1. ff. eod.

#### III.

Primum substantiale est *Consensus* : dicitur autem hic contractus consensu constare, quia solus consensus de re & pretio perficit emtionem, non considerato rei interventu : licet enim res tradita non sit, nec pretium numeratum, simulac tamen utrimque convenit illico nascitur obligatio, & alter alteri naturaliter & civiliter obligatur *pr. inst. b. tit.*

#### IV.

Qualitas consensus in eo præcipue consistit, quod ab utraque parte debet esse liber, unde hæc est regula Juris *quod nemo invitus emere vendere cogitur*, l. 11. l. 13. *Cod. b. tit.* & si coacta fuerit venditio rescinditur per Prætores l. 1. *Cod. de rescind. vend.* Habet autem hæc regula duas exceptiones 1. si id postulet utilitas publica l. 11. ff. *de eviction. §. ult. inst. de his qui sunt sui vel al. ju.* 2. si id flagitet favor Religionis l. 12. ff. *de Relig. & sumt. fun.*

#### V.

Libertatem consensus porro maxime impediunt dolus, metus error. Circa dolum distinguendum est, utrum inciderit in emtionem, an vero Emtoni causam dederit. Dolus dicitur dare causam Emtoni, cum aliquis ad emendum vel vendendum inducitur, qui alias Emturus vel Venditurus non erat. Do-

Dolus dicitur incidere in emtionem, quando quis animum quidem emendi vel vendendi habebat, dolo autem inducitur ad pluri emendum vel vendendum *l. 13. §. 14. ff. de act. emp.*

Quando dolus causam dedit emtioni, tunc emtio est ipso jure nulla *l. 7. pr. ff. de dolo l. i. Cod. de resc. vend.* quando vero incidit, tunc corrigitur per actionem emti *d. l. 7. §. 3. & l. 9. pr. ff. de dolo d. l. 13. §. 4. ff. de act. emp.* Ratio differentiae est, quod is qui dolo ad contrahendum inductus est, censetur consentire sub conditione, si res ita se habeat, prout existimat: dolus autem incidens in contractum ideo non vitiat contractum, quoniam consensus hic ab initio liber est ac purus.

V I.

Quod ad vim & metum attinet non distinguendum utrum incidit in emtionem, an vero causam dederit, quia contractus semper ipso jure subsistit, sed ex edicto Prætoris restituitur *l. ult. §. 1. & 3. ff. quod met. caus. l. 5. Cod. eod.*

V I I.

Circa errorem distinguendum est hoc modo: si erratum sit in corpore vel tota materia, ipso jure nulla est emtio venditio *l. 9. pr. & §. 1. ff. h. tit.* si autem erratum sit in qualitate rei accidentali, emtio subsistit *l. 21. §. 2. ff. de act. emt. l. 4. §. 1. ff. h. tit.*

V I I I.

Sequitur alterum substantiale emtionis venditionis N. *Res five Merx* quæ venditur, nam sine re quæ veneat nulla emtio intelligitur *l. 8. pr. ff. h. tit.* In rebus quæ emi vendi possunt, tria requiruntur. 1. Ut res quæ venditur, existat *l. 15. ff. h. tit.* alias nec æstimatio debetur, nec pœna eo nomine promissa *l. 69. ff. de verb. obl.* hoc tamen non ita intelligendum est, quasi res vera jam existere deberet, sufficit enim ut existere possit, nam ita fructus & partus futuri recte venduntur *d. l. 8. pr. ff. de contr. emt.*

I X.

2. Requiritur ut res certa sit & determinata. Determinatur res vel in genere ad corpus, ut cum certa res venditur nulla quantitatis facta mentione, vel in specie, cum res venditur ad certam mensuram *l. 40. §. 2. ff. h. tit. l. 2. pr. l. 2. pr. l. 6. ff. de act. emp.*

X.  
 §. 3. Requiritur ut res sit in commercio per *l. 34. §. 1. ff. h. tit.*  
 Commercium est emendi vendendique invicem jus: quid si res  
 venditæ sint extra commercium? nulla est emtio *d. l. 34.* si ta-  
 men ignorans emtor talem rem emerit à sciente venditore, tene-  
 tur venditor ad interesse *§. ult. inst. h. tit.*

## X I.

Positis his requisitis, omnes res emi vendi possunt, mobiles &  
 immobiles, corporales & incorporales, ut servitutes tam prædia-  
 les *l. 80. §. 1. ff. h. tit.* quam personales *l. 8. §. ult. ff. de peric. &  
 com. rei vend. hæreditas, obligationes & actiones tot. tit. ff. de hæ-  
 red. vel act. vend.*

## X I I.

Circa actionis venditionem hoc specialiter constitutum est per  
 Imperatorem Anastasium in *l. 22. Cod. mandati*, & confirmatum  
 per Justinianum in *l. 23. Cod. eod.* quod non liceat emere actio-  
 nem lucri causa, sed si emtor minus dederit, ut non possit ea  
 actione plus à debitore consequi, quam ipse dedit, ejusque pre-  
 tii usuras. Hoc jus etiam statuto Trajectino confirmatum est,  
*Rub. 28. art. 9. & 10.* ubi etiam hoc additur, quod debitor con-  
 ventus possit à cessionario jusjurandum exigere, quid & quantum  
 dedit pro actione. In istis tamen obligationibus, quarum Ordines  
 harum Provinciarum debitores sunt, quotidie contrarium obser-  
 vari videmus, tacite id permittentibus D. D. Ordinibus, ut non  
 immerito hac in parte dicere liceat, contrariam consuetudinem il-  
 lud jus abrogasse.

## X I I I.

Sequitur tertium emtionis & venditionis requisitum N. pretium,  
 sine pretio utique nulla potest esse venditio *§. 1. inst. h. t. l. 2. §. 1.  
 ff. eod.* Pretii qualitates consistunt in duobus; ut sit certum *§. 1.  
 inst. h. t. 2.* Ut consistat in pecunia numerata *§. 1. inst. eod.*

1. Debet esse certum *dd. ll.* quia si incertum sit pretium con-  
 tractus ad effectum perducere non potest, cum incertitudo regu-  
 lariter vitiet omnem dispositionem *l. 30. ff. de test. tutel. l. 94. ff.  
 de verb. oblig.* Determinari potest pretium, vel expresse vel relatio-  
 ne ad aliud *l. 6. ff. de reb. credit.* sive pretium referatur ad præte-  
 ritum

ritum tempus, ut quanti tu emisti, vel ad præsens, ex Gr. quantum in arca habeo *l. 7. §. 1. ff. h. tit.* vel etiam ad futurum tempus ex. gr. quo pretio illo die in foro vendetur.

X I V.

An autem definitio pretii ad arbitrium tertii referri possit, ita habendum est. Tertius iste vel certus vel incertus est, si in arbitrium tertii incerti collata est emtio, veluti: fundus esto tibi emtus quanti alii æstimabunt, non valet emtio, *l. 25. ff. locati cond.*

Si autem in arbitrium tertii certi collata sit emtio, veteres quidem dubitarunt an id fieri possit, Imperator tamen Justinianus sua Constitutione talem conditionem valere voluit *§. 1. inst. h. tit. l. ult. Cod. eod.*

X V.

Alterum Requisitum pretii est ut consistat in pecunia numerata *§. 2. inst. h. tit.* nam si res detur pro re, toga pro tunica, non est emtio venditio sed permutatio *l. 1. §. 1. ff. eod. tit.* Cum veteres JCTi hac in parte dissentirent, quibusdam putantibus etiam permutatione rerum emtionem contrahi: aliorum tamen JCTorum sententia prævaluit, *d. §. 2.*

X V I.

Restat ut lustremus quosdam effectus emtionis venditionis, 1. effectus emtionis venditionis contractæ est, quod ab ea recedere non licet *l. 3. l. 6. Cod. de rescind. vendit.* nisi uterque consentiat *l. 2. & 3. ff. eod. tit.* Unius dissensu dissolvi non potest *l. 1. ff. eod.* nam unumquodque dissolvitur eodem modo quo colligatum est. Hinc quærunt interpretes an non possit resilire unus ab emtione sub dispendio Arrarum? quod negandum putamus, quoniam leges generaliter tradunt pænitentiae locum non esse, ubi perfecta est emtio, tum quod arrha quæ data est ad confirmandum contractum, ad eundem infirmandum adhiberi non potest.

X V I I.

2. Effectus emtionis venditionis perfectæ est, quod periculum rei venditæ nondum traditæ pertineat ad emtorem, hoc est, si res vendita post emtionem perfectam, tamen ante traditionem casu fortuito absque culpa venditoris perierit, aut deterior facta sit, quod omne illud damnum pertineat ad emtorem, non vero ad venditorem,



## 8 DISPUTATIO JURIDICA

torem, quod expresse probatur per §. 3. *inst. h. tit. l. 5. §. 2. ff. de resc. vend. l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. l. 8. pr. ff. de per. & commod. rei vend. l. 10. §. 1. l. 11. l. 14. ff. h. tit.*

### XVIII.

Tertius effectus consistit in actionibus, quæ ex hoc contractu oriuntur, quæ duplices sunt Empti & Venditi.

Actio empti est actio personalis, bonæ fidei, quæ datur emptori adversus venditorem, ut rem venditam tradat cum omni accessione.

### XIX.

Circa traditionem quærunt Interpretes an venditor præcise cogi possit ad rem ipsam tradendam, an vero se liberare possit præstando id quod interest?

R. Juri civili magis convenit sententia, quæ statuit venditorem præstando interesse liberari: quoniam traditio in facto consistit, ad quod nemo præcise cogi potest *l. 13. §. 1. ff. de Re Judicata*, multæ quoque leges id probant ut *l. 1. l. 11. §. 9. l. 12. ff. de act. empt. l. 12. Cod. eod. l. 17. Cod. de fide instr.*

### XX.

Actio venditi est actio personalis, Civilis, rei persecutoria bonæ fidei quæ datur venditori adversus emptorem, ut tradat pretium, & omne id quod ex natura contractus præstandum est *l. 13. §. 19. ff. de act. empt.*

